



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XVIII. Priuilegia concedenda, sed meritis & moderatè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

lex tributi, imo injusta est. Causa enim cessante lex est inutilis Reipublice, nec grauanda est legibus, quæ nihil conferunt ad publicum bonum.

§. 5. Hanc ob causam plurimæ veterum abolitæ fuerunt, à Iustiniani jurisconsultis, vt in procemiis fateretur Imperator. Et ex legibus Pandectarum, & Codicum magna pars, quæ nunc aliis legibus emendata est.

Lex bona, & præceptrix alicuius virtutis, non cessat, cessante ratione.

§. 6. Si lex humana legem quæ actum aliquem virtutis imperet, præscribat, quamuis cessante causa, vim obtinebit; satis est enim in ipso virtutis exercitio causa, vt ferenda fuerit, modo non nimium grauis sit. Nam actus ille capax est legis ex sese & natura sua, ideo manet obligatio, donec à Principe aufertur. Exemplum est. Constitutum est, vt contra Arianos initio in Ecclesiis caneretur; Gloria, Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Quia vero actus ille natura sua bonus, & religiosus est; manet lex illa, quamuis Arianorum multis in locis, ne nomen quidem superstit.

Dispensatio sine iusta causa dispensatio.

§. 7. Dispensatio in lege humana fit, cum manente lege, & causa legis in vno, altero quæ, aut pluribus obligationibus tollitur.

Lex erat Romanæ libertatis custos; vt in prouinciis administratione annua esset successio. Lege solutus Cæsar decennio Gallias gubernauit. Alia ex parte actum; vt Pompeius legibus solueretur. Proprie dispensatione dicunt, ad tempus, cū quispiam lege soluitur, alias cum perpetuo liber est à lege, exemptio dicitur. Quando in aliam obligationem conuertitur, commutatio legis dicitur.

§. 8. Potest vero Princeps, siue Ecclesiasticus, siue secularis in suis, & prædecessorum legibus dispensare. Cum enim in eorum potestate sit obligare, etiam erit obligationem tollere, id quæ ab hoc vel illo, prout ratio dicat. Deinde inferior Magistratus in lege superioris dispensare potest, cum tacito vel expresso superioris consensu, vel consuetudine; Quin etiam si res parui momenti sit, & frequens, non adito superiore.

Dispensatio sine causa iusta, non est bona.

§. 9. Vt dispensatio legitima sit, opus est, vt sit legitima illius causa. Nam contra bonum commune est, legibus aliquos solui absque vlla causa; cum se omnes communitati debeant conformare. Deinde princeps suis legibus tenetur, si sine causa dispensare potest, nunquam eis astringetur. Itaque Princeps sine causa dispensando peccat; deinde is qui dispensatione vitium in legem naturalem committit, quæ iubet, partem toti Reipublicæ conformem esse. Res tamen ipsa quæ conceditur, rata est. Quod si iusta fuit causa dispensationis, ea cessante etiam dispensatio cessat, causa redeunte, redit dispensatio.

Si vero lex simpliciter sublata est, quamuis causa cesset, ante executionem, ea vti potest. Vt si in aliquo dispensatum est in irregularitate propria penuriam Sacerdotum, etsi ea cesset ante ordinem acceptos, manet tamen dispensatio, quia irregularitas omnino sublata est.

CAPVT XVII.

Legem iusta de causa abrogari posse.

Iusta lex abrogatur.

§. 1. Lex iniusta vel ab iniusto, vel mutatione temporum, legis nomine digna non est; & mutata conditione temporum, cum incipit iniusta esse, etiam lex esse desinit. De abrogatione legis iustæ, utriusque agimus igitur, quæ tum abrogatur, cum grauis est; & abrogatio eius communi bono utilior esse videtur, quam observatio, quæ quidem in re graues causas intercedere necesse est.

§. 2. Abrogare potest conditor, successor, superior sui inferioris, non autem inferior superioris. De potestremo magna sunt litigia; nam quædam vrbes, Principesque, leges municipales condunt, juri Cæsareo contrarias, cuius rei potestatem non habent, nisi à superiore sibi collatam. Periculosum sane est juri communi derogari per leges priuatas. Vt igitur iustæ sint leges Principum, vrbiumque subditarum, necesse est, vt sint juris communis quædam determinationes.

Leges municipales.

§. 3. Omnis lex posterior contraria priori eam abrogat, siue ejus mentionem contineat, siue non contineat. Nam cum simul vim obtinere non possint, voluntas posterior reuocat priorem.

§. 4. Nisi habeat clausulam derogatoriam, non tollit priorem, cum opponitur, conciliari enim possunt, & vtrique vigorem obtinere. Hac de re aliud non occurrit, nisi abrogatio fiat considerare, raro, magnis causis, ob rationes, quas supra attuli.

CAPVT XVIII.

Priuilegia concedenda, sed meritis, & moderate.

§. 1. Priuilegium est quasi lex priuata, seu priuato concessa; definitur lege concessa potestas alicui, vel aliquibus agendi, vel non agendi, aut recipiendi, vel non recipiendi, vltra jus commune. Magna res, & vnde plurimum nocenti adferri Reipublicæ potest, nisi accurate caueatur.

Priuilegia raro concedenda.

§. 2. Priuilegiorum varia sunt genera. 1. Priuilegium aliud diuinum est, aliud humanum. Diuina plurima veteri Sacerdotio concessa sunt. Humana autem cetera, qualia illa castrensia Euocatorum, vt cæterorum, vt immunes essent, nisi propullandi hostis. 2. Affirmatiuum, negatiuum. Hoc liberatur ab aliquo onere, illo facultatem agendi consequitur. 3. Personale, Reale. Hoc rebus ipsis, illud personis adheret. 4. Gratiolum, quod sola beneuolentia; Remuneratiuum, quod meritorum respectu datur. 5. Quod contra jus, & vltra jus. 6. Conuentionale, & sine pacto, seu purum. 7. Perpetuum, temporale, Fauorabile & odiosum; Fauorabile est omne priuilegium, sed hic dicimus fauorabile, quod in nullum damnum alterius tertii cedit; odiosum quod obest aliis. 8. Vnius personæ, vel communitatis, quæ sit tantum pars alterius Reipublicæ. 9. In foro interno, & externo. 10. Concessionem, consuetudinem. 11. Ecclesiasticum, ciuile.

Militaria priuilegia.

§. 3. Reipublica quæ condenda legis habet potestatem, etiam priuilegia contra legem concedere potest; quæ hac facultate caret, priuilegia non potest concedere. Itaque soli subdito proprio, vel ei qui aliquo modo subiectus est priuilegia dantur, sic vicinis vrbibus, longinquis mercatoribus; priuilegia multi in suis territoriis concedunt, quia aliqua in parte superiores sunt.

§. 4. Priuilegia bene meritis dari ad bonum Reipublicæ pertinet. Nam honore & præmio virtus excitatur, plurimique ad defensionem patriæ exacuuntur. Romana Reipublica, utpote martia in milites præcipue fuit liberalis. Præmium erat, non trahi ad forum, sed à suis ducibus iudicari.

Qui priuilegia recipit aliqua in parte inferior est.

Plurima priuilegia eorum recenset Greg. Tolof. l. 19. syntagmatis c. 16. Priuilegia personis militum quog concessa sunt, quorum aliqua accipe: nempe, vt iuri ignorantia, vel error in exceptione, suo loco proponenda, & omissa à militibus ante sententiam, restitutionem habeat in integrum. In aliis etiam à iure inductis solennitatibus, militie munus releuat: cum magis milites arma, quam iura scire expediat. Aliud militie priuilegium apud Iuuenalem:

Militum multa priuilegia.

Com-

